



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Capvt LI. Diuinvm Officivm Septem distinctis constat horis, & quænam
illæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

§. Verum, & quidem nullo repugnante, hic communis Doctorum sensus est, & consensus qui pariter hunc remum ducunt. Ac est generalis & inueterata, & antiquissima Ecclesiæ consuetudo, quæ vim legis obtinet, vt vel publicè, vel priuatim officium hoc à maioribus Clericis persoluatur. Hi siquidem professi sunt statum Ecclesiasticum, & ideo ad preces illi statui congruas & præscriptas obligantur. Cultus siquidem diuinus cui ab Ecclesia consecrati & mancipati sunt ex ipsius Ecclesiæ determinatione Canonicis horis continetur.

§. Neq; soluuntur hac obligatione, quando excommunicantur, suspenduntur, interdicuntur, degradantur: quia vt rectè ait Nauar. de Horis Canonicis num. 7. Equum non est, vt ex peccato priuilegium ullum consequantur. Ex quo consequens est illos diuino iure ad preces obligari, ad determinatas verò illas Horas iure Ecclesiastico:

CAPVT LI.

Diuinum officium septem

distinctis constat horis, & quanam ille?

Hoc diuinum officium septem horas complectitur, quæ sunt 1. Nocturni cuius laudibus, passim *Quæ diuini officii partitio.* enim & vbique ferè coniunguntur. 2. Prima. 3. Tertia. 4. Sexta. 5. Nona. 6. Vesperæ. 7. Completorium. Iste septenarius numerus approbatur à Glossa & Doctoribus in cap. i. de celebratione Missarum, & à Concilio Cabilonensi 2. sub Carolo Magno cap. 59. & dist. 91. cap. 1. Presbyter ex S. Benedicto, à S. Basilio sermon. de institutione Monachorum à medio: *Omne tempus precationem, inquit, nulla non vitæ pars oportuna habenda sit: quia ni idoneum.*

I

tamen

*Humana in
becillitati
precationis
et genti flexi-
onis inter ca-
pedo necessa-
ria.
Septenis vi-
cis laudan-
di Deum an-
te signamus
David, qui
mos et resi-
nendus.*

tamen datis quibusdam interuallis ab illa Psalmodia genu- flexionis acri contentione nonnunquam est interquiescendum, is est maxime horarum modus tenendus, quia veteribus olim sanctis viris ad orationem descriptus est. Et quoniam apud Dauidem est Ps. 118. v. 164. Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitie tue. perpetuo nobis hac formula sit Deum septies per singulas dierum conuersiones laudibus celebrandi. Approbatur & à V. Beda in libello de meditatione passionis Christi per septem diei horas, à S. Isidoro lib. 1. de Ecclef. officiis, à Rabano Mauro libr. 2. de Instit. Clericorum. Ruperto Tuitiensi l. 1. de diuinis officiis. Qui verò octo Horas constituunt, Laudes à Matutinis le- jungunt.

§. Pie S. Ambr. lib. 7. in Lucam c. 11. v. 5. Quis vestrum habet amicum, cum adduxisset Dauidem dicentem: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Psal. 118. Et lauabo per singulas noctes lectum meum. Ps. 6. subiungit. Et ideo Scri- ptorum memores noctib. ac diebus orationi instantes, peccatis lat, quanto nostris veniam postulemus. Nam si ille tam sanctus, & qui regni magis grega- erat necessitatib. occupatus, septies in die Domino laudem dice- bat matutinis & vespertinis sacrificiis semper intentus: quid nos facere oportet, qui eo amplius rogare debemus, quo frequentius mentis ac carnis fragilitate delinquimus? Nec solum media no- cte Dominus, sed omnibus propè docet vigilandum esse momen- tis. Venit enim & Vespertina, & secunda, & tertia vigilia; & pulsare consuevit. Ita verissime S. Ambrosius.

*Semper in
vigilandum
precibus.*

§. Hanc precationis assiduitatem commendat Saluator Marc. 13. v. 23. Videte, vigilate & orate, nescitis enim quando tempus sit Luc. 18. vers. 1. Oportet semper orare & nunquam deficere. Et cap. 21. v. 36. Vigilare omni tempore orantes, cur? Ut digni habeamini stare ante filium hominis. Quod & factitauit pro nobis Dominus pernoctans in oratione Dei Luc. 6. v. 12. Ita & desiderabat à nobis fieri Apostolus Eph. 6. v. 18. Orantes omni tempore in spiritu, 1. Thess. 5. v. 17. Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Quod & ipse

S. Pau-

S. Paulus præstitit 1. Theff. 3. vers. 10. nocte ac die abundantius orantes, & 2. Timoth. 1. v. 3. Quod si semper, omni tempore, sine cessatione precandum: cur non Ecclesiastici huic muneri consecrati & destinati libentissimè sepius in die, nocte etiam perficiant?

§. S. Hieron. epistola 7. ad Latam de institutione filia cap. 5. Proponatur ei proba fidei, ac morum, & pudicitia virgo veterana, quæ illam doceat & assuescat exemplo ad orationes & psalmos nocte consurgere, manè hymnos canere, tertia, sexta, nona hora stare in acie quasi bellatricem Christi, accensaq; lucerna reddere sacrificium vespertinum sic dies transeat, sic nox inueniat laborantem, orationi lectio, lectioni succedat oratio, breue videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur. Hæc nobilissimæ ac tenerimæ virgunculæ præscribuntur, ut horis canonicis, piis lectionibus & occupationibus tempus traducat, quod tunc breue debetur, quidni magis hoc præstandum Ecclesiastico viro?

§. Qui S. Hieron. rursus epist. 8. ad Demetriadem cap. 8. sic eam compellat: Præter psalmorum & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, nona, ad vespertinum, media nocte, & manè semper est exercendum, statue quot horis sacram Scripturam ediscere debeat, quanto tempore legere non ad laborem, sed ad delectationem & instructionem animæ. Et hæc si diuini ac Nobili virgini ut canonicas horas lectitet, Scripturam non tantum oculis & mente ac manu peruoluet, sed etiam memoriæ mandet, præfinis optimus morū Magister & censor B. Hieron. Cur non & similiter faciamus? Similia prorsus de Canonicis horis habet S. Hieron. epist. 22. ad Eustoch. cap. 16. & epistola 27. cap. 10. S. Clementis lib. 8. Constit. Apostolicarum cap. 34. Inter Apostolicas traditiones Episcopo & Clero seruandas refert hanc. Preces facite manè, hora tertia, ac sexta, & nona, & vespere, atque ad Galli cantum.

§. S. Basilius in regulis fusius disputatis interrog. siue cap. 37. cum ex diuinis literis istas precandi Horas comprobasset subiungit & causam cur non simul vno tempore, sed seunctim diuersis temporibus persoluantur. Vtilis, inquit, meo quidem iudicio, hæc in orationibus & Psalmorum decantationibus, quæ certis temporibus sunt, diuersitas est, atque varietas ob eam causam, quod in perpetua similitudine & aequalitate rerum, animo nescio quo modo, torpescit quedam oboritur, atque tadium, eaq; re aliud agens, ad fuitiles & vagas cogitationes aberrat. In vicissitudine autem varietateq; cum Psalmodia, tum singularum Horarum rationes & studium ipsum renouatur, & attentio instauratur.

CAPVT LII.

MATVTINARVM PRECV M ET
laudum rationes producuntur.

Hic operæ erit precium & pietatis incitamentum singularum Canonicarum tum mysticas tum morales rationes & causas afferre.

Matutina
preces ad
Christi Do-
mini nostri
commemo-
randam &
laudandam
anastasin.
Summo ma-
ne à morte
surrexit Li-
berator no-
ster, quod &
probatnr.

§. Matutinæ preces ante auroram & laudes celebrantur ingenti gaudio ob gloriose Dominice Resurrectionis memoriam, quæ in diei crepusculo siue aurora contigit, vt indicat S. Marcus cap. 16. v. 9. Surgens Iesus mane primâ Sabbathi apparuit primâ Mariæ Magdalene. Significat & hymno suo Ecclesia dum canit: Aurora lucis rutilat, Cælum laudibus intonat, Mundus exultans iunilat, Cum Rex ille fortissimus, Mortis confractis viribus, Triumphans pompa nobili, Victor surgit de funere. Idem docet S. Ignat. epistola 5. ad Trallianos. Illucescente, inquit, Dominico die resurrexit à mortuis. Euseb. Cæs. l. 10. Demonstrat. Euang. cap. vltimo, resurrectionem, ait, Domini dici matutinam: quia in ipsa aurora facta est.

§. Quod